

BREVIS CONSPECTUS  
HISTORIAE  
ROMANORUM

*IN UTRAQUE DACIA DEGENTIUM*

AUCTORE

A. TREB. LAURIANO,

In Collegio nationali Philosophiae Professore.



HILARIOPOLI IN DACIA INFERIORE.

Typis Collegii nationalis.

1846.

BREVIS CONSPECTUS  
HISTORIAE  
ROMANORUM

IN UTRAQUE DACIA DE GENTIUM

AUCTORE

A. TREB. LAURIANO,

In Collegio nationali Philosophiae Professore.



---

HILARIOPOLI IN DACIA INFERIORE.

Typis Collegii nationalis.

1846.

BREVIS CONSPECTUS  
 HISTORIAE  
 ROMANAE  
 IN TERRAE DACIAE DECAUUM

M. T. C.

A. T. B. LAURIANO

The Walachians are surrounded by, but not mixed with, the  
 barbarians.

Gibbon's History of the Decline of the  
 Roman Emp. Cap. XI. Nota 13.



HILARIOPOLI IN DACIA INTERIORE

Typis Collegii nationalis.

1816.



BREVIS CONSPECTUS  
HISTORIAE ROMANORUM

IN UTRAQUE DACIA DEGENTIUM

I.

Romani ex parvo exiguique momenti populo in medio Italiae de anno in annum incredibili creverunt celeritate, et intra quingentos fere ab Urbe condita annos super totam Italiam suum extenderunt imperium, non tam aggrediendo suos vicinos, quam semet ipsos contra horum impretus defendendo. Occasione certaminis cum Siculis, circa annum 490 ab Urbe condita, in contactum venerunt cum Carthaginensibus, unde cruentum enatum est bellum inter hos duos populos, quo Hannibal Romanos ferme in desperationem duxit; tandem hi posteriores victores exstiterunt, et Carthaginenses omnes Europeas provincias evacuare classemque suam Romanis tradere, coacti sunt, circa annum 552 ab U. C.—Paullo post subacta est Macedonia, Illyricum, Graecia, Syria et Africa, quum Carthago penitus everteretur, versus annum 607 ab U. C.—Secutae sunt Hispania, Numantia, Asia minor, Thracia et Gallia, spatio vix quadraginta annorum. Imperante Augusto Octaviano occupatur Mœsia et Pannonia, occidentem versus extenditur imperium Romanorum ultra Britannos, orientem versus usque Euphratem fluvium, meridiem versus usque ad deserta Africae, septemtrionem versus usque Danubium.

Daci supra Danubium fortiter suam defendunt libertatem, et in barbaro suo statu testantur sese populum esse dignum, qui Romano aequiparetur. Decebalus eorum Rex non modo non subjicit se Domitiano, verum etiam terribili eum afficit clade, et non tantum securum suum reddit regnum, sed etiam maximum et potentissimum orbis populum sibi tributarium facit. Tandem hic alter Hinnibal invenit in Traiano aemulum dignum, cum quo suas tentaret vires. — Marcus Ulpius Traianus post mortem Nervae successoris Domitiani Imperator acclamatus anno 85o ab U. C. sive 97 post Ch. n. statim bellum indicit Dacis, et post plures, cruentos conflictus cum his hominibus bellicosis et libertatis studiosis, intra

duos annos eos vincit et pacem petere cogit, quam eis etiam concedit his conditionibus, ut omnes arces solo aequarent et promitterent se communes cum populo Romano hostes et amicos habere velle. Sed haec pax haud multum durat tempus, nam Decebalus otio non adsuetus brevi post Romanorum discessum, iterum arma capessit et Romanas provincias trans Danubium sitas devastare coepit. Traianus videns cum his hominibus frustra pacis fieri foedera, eos penitus delere resolvit. Igitur denuo ad Danubium maturat, pontemque illum stupendum in hoc fluvio aedificat, de quo Dio Cassius :

„Interim Traianus pontem lapideum in Danubio faciendum curavit, quem ego quidem digne admirari non queo ; nam etsi Traiani sunt alia opera magnifica, tamen is pons longe omnibus aliis antecellit. Eius pontis pilae sunt XX. ex lapide quadrato, singulae absque fundamentis altitudine pedum CL, latitudine pedum LX. distant inter se intervallo CLXX. pedum, suntque fornicibus coniunctae. Cuius operis sumptus licet sit incredibilis, tamen plus admirationis habet, quod haec in fluvio gurgitibus pleno, limosoque alveo facta sunt, quodque fluxus eius fluminis alio averti non potuit. Neque vero latitudo ipsius idcirco a me dicta est, quod per magna sit : (nonnunquam enim duplo, triploque maius inundat,) sed quod tanta sit in eo loco angustissimo, quo tamen nullus erat ad faciendos pontes accomodatior. Quo in loco quanto maius flumen ex lato in angustum fluit, rursusque ex angusto multo fit latius, tanto rapidius fertur, altiusque est, ut id pontis faciendi difficultatem maxime augeat. Ex quo Traiani magnitudo animi intelligi facile potest.— Igitur Traianus eo ponte facto, Danubium transivit; dein secure bellum gessit magis, quam celeriter, ac Dacos vix tandem subegit.— Decebalus (Rex Dacorum) postquam regiam, regionemque suam omnem captam esse cognovit, imminereque periculum, ne ipse quoque caperetur, manus sibi attulit. Eius caput Romam perlatum est, et Dacia in potestatem populi Romani venit, in eamque Traianus colonias deduxit.“ \*)

---

(\*) *Τραϊνὸς δὲ γέφυραν λιθίνην ἐπὶ τοῦ Ἰστροῦ κατεσκευάσατο, περὶ ἧς οὐκ ἔχω πῶς ἂν ἀξίως αὐτὸν θαυμάσω. ἔστι μὲν γὰρ καὶ τᾶλλα αὐτοῦ ἔργα διαπρεπέστατα, τοῦτο δὲ καὶ ὑπὲρ ἐκεῖνα. ὡς γὰρ κρηπίδες εἰσὶ λίθου τετραπέδου εἴκοσι, τὸ μὲν ἕψος πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν ποδῶν, πλὴν τῶν θεμελίων, τὸ δὲ πλάτος ἐξήκοντα, καὶ αὐταὶ ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν ἀπ' ἀλλήλων πόδας ἀπέχουσαι, ἀψίσι συνφοκιδόμενται. πῶς οὐκ ἂν τις τὸ ἀνάλωμα τὸ ἐς αὐτὰς δαπανηθὲν, θαυμάσειε; πῶς δ' οὐκ ἂν τις τὸν τρόπον, ὃν ἕκασαι αὐτῶν ἐν τε ποταμῶ πολλῶ, καὶ ἐν ὕδατι δινώδει δαπέδῳ τε ἰλυώδει ἐγένοντο; οὐ γὰρ τοι καὶ περιτρέψαι ποτὸ ζεῦμα ἠδυνήθη. Τὸ δὲ δὴ πλάτος τοῦ ποταμοῦ εἶπον, οὐχ ὅτι διὰ τοσούτου ζεῖ (καὶ γὰρ ἐπὶ διπλάσιον ἔστιν οὗ, καὶ ἐπὶ τριπλάσιον αὐτοῦ πελαγιῆει) ἀλλ' ὅτι τὸ, τε στενωτάτον καὶ τὸ ἐπιτηδειότατον ἐς*

**Eutropius Libro VI. 6.** brevibus, ast more suo ponderosis, et extensionem provinciae et numerum in illam ductorum incolarum admirando magis, quam determinando, indicare conatur verbis: „Cum Dacia bello Decebali viris esset exhausta, Traianus ad frequentandam hanc, decies centena millia passuum in circuitu habentem provinciam, ex toto orbe Romano infinitas eo copias hominum transtulerat, ad agros et urbes colendas.“

**Ptolemaeus** in sua *Geographia* nominat ultra quadraginta urbes, *Tabula Peutingeriana* fere quinquaginta, haud tamen omnes illas recensens, quas Ptolemaeus noverat, unde mutua facta suppletionem ad septuaginta, et amplius ascendunt. **Ulpianus** in *Digestis*, de *Censibus* Libro I. §. 8 et 9. docet quinque complurium harum coloniarum Italici juris fuisse: „In Dacia quoque Zernensium colonia a Divo Traiano deducta, juris Italici est. Zarnizegethusa quoque eiusdem juris est: item Napocensis colonia et Apulensis, et Patavicensium vicus, qui a Divo Severo jus coloniae impetravit.“ Inscriptioes, quarum ultra tercentas huc usque inventae sunt, testantur plures insignes civitates municipii jure donatas fuisse. In his occurrunt nomina quindecim legionum, quae ad tutandam provinciam ab Imperatoribus fuerunt constitutae, scilicet: I. Adjutricis Italicae Minerviae, II. Augustae Parthicae, III. Italicae, IV. Augustae Flaviae Hispanicae Victricis, V. Macedonicae, VI. Victricis, VII. Claudiae, VIII. Augustae, X. Fretensis, XI. Claudiae, XII. Fulminatricis, XIII. Geminae Ulpiae, XIV. Geminae Martiae Victricis Mæsaicae, XV. Sicinia, XXX. Valentis Victricis Ulpiae.

Provinciae huic, quae inter Augusti, non Senatus, numerabatur provincias, adeoque militari gubernabatur modo, et Dacia Augusta appellabatur, Traianus praefecit Proprietorem M. Scavianum, qui etiam Procurator fuit collegii Aurariarum, quod Imperator constituerat ad laborem operariorum metallicorum dirigendum, cuius, uti et officialium eiusdem praecipuorum, saepissime fit mentio in lapidibus.

τὸ γεφυρωθῆναι τῶν ἐκείνη χωρίων τοσοῦτον ἐστίν. Ὡς δὲ δὴ ἐς σελὴν ταύτην ἐκ πελάγους μεγάλου καταβαίνων, καὶ ἐς πέλαγος αὐθις μετίζον προχωρῶν κατακλείεται, τόσῳ πον καὶ ῥομφέστατος καὶ βαθύτατος γίγνεται. ὥς τε καὶ τοῦτο ἐς τὴν χαλεπότητα τῆς κατασκευῆς τῆς γεφυρας τεῖναι. Ἡ μὲν οὖν μεγαλόνοια τοῦ Τραϊανοῦ καὶ ἐκ τούτων δεικνύται. — Τραϊανὸς δὲ διὰ ταύτης τῆς γεφυρας τὸν Ἰστρον παραιωθεῖς, δι' ἀσφαλείας μᾶλλον ἢ διὰ σπουδῆς τὸν πόλεμον ποιούμενος, σὺν χρόνῳ καὶ μόλις ἐγράτῃσε τῶν Δακῶν. — Δεκέβαλος δὲ, ὡς καὶ τὸ βασιλείον αὐτοῦ καὶ ἡ χώρα κατελήπτο σύμπασα, καὶ αὐτὸς ἐκινδύνευσεν ἀλῶσαι, διεχρήσατο ἑαυτὸν, καὶ ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ ἐς τὴν Ρώμην ἀπεκομίσθη, καὶ οὕτως ἡ Δακία Ῥωμαίων ὑπήκοος ἐγένετο, καὶ πόλεις ἐν αὐτῇ ὁ Τραϊανὸς κατόκησεν. *Epitome Romanae Historiae Dionis, Xiphilino auctore, Gulielmo Blanco Albensi interprete, in Traiano.*

Viae lapidibus stratae, quarum tres transibant Danubium, uti Tabula indicat Peutingeriana, per totam decurrentes provinciam, principales jungebant civitates, conditae Basilicae, Tempa, Amphitheatra, Balnea, Aqueductus etc., quorum rudera hodie quoque visuntur, florentem sub Augustis provinciae indicant statum, quae una ex primis et pulcherrimis vasti erat imperii Romani.

Floruit verum haec provincia ab anno Urbis conditae 859, sive Aerae vulgaris 106, quo Traianus eam formaverat, sub optimis et fortissimis Imperatoribus per centum et sexaginta annos, usque ad Gallieni tempora, quibus, externe ingruentibus undique barbaris, et interne insurgentibus successive triginta tyrannis, amissa est. Q. Nonius Regillianus in Dacia natus, Imperator strenuus, patriam quidem suam in his turbis a barbaris purgavit, ast brevi post a militibus trucidatus est; et simili periit ratione Gallienus anno 268. Successit eidem M. Aur. Claudius, qui anno 269. Gothos Illyricum, Macedoniamque vastantes, ingenti proelio vicit, et Gothici elogium, deleta quoque illorum classe, sibi tribui passus est: „Delevimus (scribit Imperator) trecenta viginti millia Gothorum, duo millia navium mersimus. Tecta sunt flumina scutis, spathis et lanceolis omnia littora operiuntur. Campi ossibus latent tecti: nullum iter purum est: ingens carago deserta est. Tantum mulierum cepimus, ut binas et ternas mulieres victor sibi miles possit adiungere“ \*). Hic quoque anno 270 pariter vitae ereptus est.

Aurelianus Sirmii, in Pannonia, Imperator acclamatus, cum non obstantibus felicibus cum Gothis conflictibus, vastatum Illyricum et Mœsiam perditam videret, circa annum 274. desperans Daciam retineri posse, legiones cum magna parte provincialium ex provincia abduxit et in Mœsiam collocavit, quam deinde suam Daciam appellari voluit, ne tantae a Traiano formatae provinciae nomen oblivioni traderetur.

Et haec nova Dacia fuit, quae divisa est in *Ripensem*, utpote quae pene dextram Danubii jacebat ripam, et *Mediterraneam*, quae magis meridiem versus per Dardaniam et Macedoniam extendebatur, sub quibus nominibus saepius comparet apud scriptores Aureliani aevum secutos, praecipue autem apud Byzantinos. Recentioribus autem temporibus a scriptoribus minus criticis, praecipue vero Hungaricis, duae hae Daciae, *Ripensis* scilicet et *Mediterranea*, in antiqua Traiani Dacia quaesitae sunt, quibus, nescio qua supernaturali inspiratione, deinde tertia addita est, *Alpestris* nimirum, cuius plane nulla apud veteres scriptores fit mentio.—Antiqua Dacia sub Regibus propriis (Dacicis,) ergo ante occupationem Romanorum, extendebatur a Flexu Danubii juxta Carpim, in iis scilicet locis, ubi hodiernum castrum Visegrad jacet, supra Budam, secundum eundem Danubium fluvium usque

\*) Epistola Imperatoris apud Treb. Pollionem in Claudio.

ad Pontum Euxinum sive Mare nigrum; hinc usque ad Barysthenem fluvium; septentriones versus autem usque ad Carpaticos montes, sub parallelo latitudinis Geographiae 48° 40' Ita Strabo. — Tempore, quo Traianus Dacos devicit, pars inter Danubium et Parthissum tenebatur a Jazygibus Metanastis, quae ipsis, quoniam a Dacorum insurrectione secundo abstinerunt bello, relicta est; ast tardius inquietem exserentibus adempta, et reliquae Daciae adiuncta est; pars autem orientem versus, ultra Hierasum amnem jacens usque ad Borysthenem fluvium, re quidem Daciae, forma autem administrationis Mœsiae inferiori adnumerabatur; interiacens regio Dacia propria erat. Ita Ptolemaeus.—Tota haec provincia tempore Romanorum divisa erat in Daciam *superiorem* et *inferiorem*, sicut etiam Pannonia et Moesia, prouti apparet ex duobus documentis historicis nostro tempore detectis. Haec documenta sunt primo: Hadriani Imperatoris Diploma honestae missionis duabus tabulis aeneis inscriptum, quae paeterito decennio penes pagum Gros-di-Podu non procul a Celleis inventae sunt, et nunc in museo Domini M. Glycae conservantur, secundo: Lapis honorarius in ruderibus castris Turni tempore expulsionis Turcorum inventus, et a Domino Generali Mauro Hilariopolim translatus. Novitatis magnique eorum momenti gratia, utrumque horum documentorum hic ponimus, et quidem prius Hadriani Diploma honestae missionis, deinde Lapidem honorarium.

VEXILLATO. EQVITVM. HETTRICOR.

EX. GREGALE.

EVAPTORI EVMEVIE SEDASTOPOL. ET. EVAPTORIB.  
 EVS. ET. EVAPTORIB. EVS. ET. EVMEVNO. F. EVS. ET.  
 THRASONI. F. EVS. ET. PHILOPATRAE. F. EVS.  
 DESCRIPVAM. ET. RECOGNITVAM. EX. TABVLLA. AE.  
 NEA. QVAE. FVIT. EST. ROMA. IN. MVRO. POST.  
 TEMPVAM. DIVI. AVG. AD. MINERVAM.

VIRIAM.  
 FESTI.  
 DARRHENI.  
 CEMENTI.  
 ANTH.  
 MENANDR.  
 HERRIETIS.

L. VIRI.  
 Q. LOLL.  
 L. PVLK.  
 L. EQVIN.  
 L. PVL.  
 T. CLAVD.  
 C. VETIENI.



IMP. CAESAR. DIVI. TRAIANI. PARTHICI F. DIVI. NERVAE. NEPOS. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XIII. COS. III. P. P. EQVITIB. ET. PEDITIBVS. QVI. MILITAVER. IN. ALAE. I. VEXILLATIONE. EQVIT. ILLYRICOR. ET. COH. III. QVAE APPELLANT. I. HISPANOR. ET. I. HISPANOR. VETERAN. ET. II. FLAV. NVMDAR. ET. II. FLAV. BESSOR. ET. III. GALLOR. ET. SVNT. IN. DACIA. INFERIORE. SVB. PLAVTIO. CAESIANO. QVINIS. ET. VICENIS. PLVRIBVSVE. STIPENDIS. EMERITIS. DIMISSIS. HONESTA. MISSIONE. QVORVM. NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE. EORVM. CIVITATEM. DEDIT. ET. CONVBIVM. CVM. VXORIBVS. QVAS. TVNC. HABVissent. CVM. EST. CIVITAS. IIS. DATA. AVT. SI QVI. CAELIBES. ESSENT. CVM. IIS. QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVMTAXAT. SINGVLI. SINGVLAS.

A. D. XI. K. APRIL.

P. IVVENTIO. CELSO. II. Q. IVLIO. BALBO. COS.  
VEXILLATIO. EQVITVM. ILLYRICOR.

EX. GREGALE.

EVPATORIEVMENIE. SEBASTOPOL. ET. EVPATORIEIVS. ET. EVPATORIE. EIVS. ET. EVMENO. F. EIVS. ET. THRASONI. FIL. EIVS. ET. PHILOPATRAE. FIL. EIVS. DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. EX. TABVLA. AENEAE. QVAE. FIXA. EST. ROMAE. IN. MVRO. POST. TEMPLVM. DIVI. AVG. AD. MINERVAM.

L. VIBI.

VIBIANI.

Q. LOLLI.

FESTI.

L. PVLLI.

DARHENI.

L. EQVITI.

GEMENI.

L. PVLLI.

ANTHI.

TI. CLAVD.

MENANDR.

C. VETIENI.

HERMETIS.

## Legendum:

Imperator Caesar Divi Traiani Parthici Filius, Divi Nervae Nepos, Traianus Hadrianus Augustus, Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate XIII. Consul III. Pater Patriae, Equitibus et Peditibus, qui militaverunt in Alae I Vexillatione Equitum Illyricorum et Cohortibus III, quae appellantur: I Hispanorum, et I Hispanorum Veteranorum, et II Flavia Numidarum, et II Flavia Bessorum, et III Gallorum, et sunt in Dacia inferiore sub Plautio Caesiano, quinque et vicenis pluribusve Stipendiis emeritis, dimissis honesta missione, quorum nomina subscripta sunt, ipsis, liberis, posterisque eorum civitatem dedit et conubium cum uxoribus, quas tunc habuissent, cum est civitas iis data, aut si qui caelibes essent, cum iis, quas postea duxissent dumtaxat singuli singulas.

Ante diem XI Kalendas Apriles.

Publio Juventio Celso II, et Quinto Julio Balbo Consulibus.

Vexillationis Equitum Illyricorum

Ex Gregale

Eupatori Eumeni e Sebastopoli, et Eupatori filio eius, et Eupatori filio eius, et Eumeno filio eius, et Thrasoni filio eius et Philopatrae filio eius.

Descriptum et recognitum ex tabula aenea, quae fixa est

Romae in muro post templum Divi Augusti ad Minervam.

Lucii	Vibii	Vibiani
Quinti	Lollii	Festi
Lucii	Pulli	Darheni
Lucii	Equitis	Gemeni
Lucii	Pulli	Anthi
Tiberii	Claudii	Menandri
Caii	Vetieni	Hermetis.

IVL. CAPITONI C. P. P. ILLYRICI

TR. T. OMNIB. HONORIB. AB ORD

FL. SIRMIATIVM HONORATO. ET

SENTENTIAE DICVNDAE. ITEM SACERDOTALIB

AB ORDINE COL. VLP. OESC. ET STATVAMAERECO

DECRETIS IAM PRIDEM AB EODEM ORDINE

ORNAMENTIS II VIRAL. ITEM DECVRIONA

LIB. ORNAMENTIS HONORATO AB ORDINIB

COLONIA R. VLP. POETO VIONENSIS

EX PANNONIA SVPERIORE. VLP. RATIAR

EX MOESIA SVPERIORE. TRAIANAE. SARMI

ZEGETHVSENSIVM EX DACIA SVPERIORE

ITEM II VIRALIB. AB ORDINE. MVNICIPII

ROMVLENSIVM. BVLEVTAE. CIVITATIS

PONTICAE TOMITANORVM. PATRONO

AVG. COL. VLP. ORSC.

ORDO. COL. VLP. OESC. STATVAM. AERE

COLLATO. CVM ORNAMENTIS. SACER

DOTALIB. EX DECRETO. ET ORNAMENT

II VIRAL. IAM PRIDEM HONORATO

OB EIVS ERGA SE MERITA HONORE

CONTENTVS IMPENDIVM REMISIT

L. D. D. D.

## Legendum:

Julio Capitoni Consulari Praefecto Provinciae Illyrici

Tribuni titulo, omnibus honoribus ab ordine  
 coloniae Flaviae Sirmiatium <sup>a)</sup> honorato, et  
 Sententiae dicundae, item sacerdotalibus  
 ab ordine coloniae Ulpiae Oescensis <sup>b)</sup>, et statuum aere  
 decretis iam pridem ab eodem ordine (collato,  
 ornamentis duumviralibus, item decuriona-  
 libus ornamentis honorato ab ordinibus  
 coloniarum Ulpiae Poetovionensis <sup>c)</sup>  
 ex Ponnonia superiore, Ulpiae Ratiarensis <sup>d)</sup>  
 ex Moesia superiore, Traianae Sarmi-  
 zegethusensium <sup>e)</sup> ex Dacia superiore,  
 item duumviralibus ab ordine Municipii  
 Romulensium <sup>f)</sup>, Buleutae civitatis

Ponticae Tomitanorum <sup>g)</sup>, Patrono

Augustae Coloniae Ulpiae Oescensis,

Ordo coloniae Ulpiae Oescensis statuum aere  
 collato cum ornamentis sacer-  
 dotalibus, ex decreto, et ornamentis  
 duumviralibus iam pridem honorato  
 ob eius erga se merita, honore  
 contentus impendium remisit.

Locus datus decreto Decurionum.

a) Ad laevam Savi 37° 22',—45° 0', ubi nunc Mitrovitz.

b) Ad laevam Iscri 42° 0',—43° 40', in Bulgaria.

c) Ad laevam Dravi 33° 30',—46° 25', ubi nunc Pettau.

d) Ad dextram Danubii 40° 30',—43° 50', ubi nunc Arziar.

e) In Transilvania 40° 30',—45° 30', ubi vicus Gradiste.

f) In Dacia australi 42° 43',—45° 15', ubi Campu-longu.

g) penes Pontum Euxin. 46° 5',—44° 12', ubi Kiustendgi.

Hic ergo videtur in uno horum documentorum nomen Daciae inferioris, in altero superioris. Haec Daciae divisio huc usque viris doctis penitus ignota fuit. Limites eius propius determinare difficile est. Mea quidem opinione rivus Tierna, qui a septemtrione veniens sub  $40^{\circ} 8'$ , —  $44^{\circ} 40'$  Danubium influit, et ad cuius dextram Colonia Tiernensis (sive Zernensis) existebat, limitem inter superiorem et inferiorem constituebat, ita ut urbs Tierna in Dacia superiore, pons autem Traiani in inferiore jaceret. — Naturâ quidem divisa erat Dacia in *centralem*, *orientalem*, *occidentalem*, *borealem* et *australem*, et hanc divisionem observare videtur Ptolemaeus enumerando diversas gentes, quae sive suo tempore eam colebant, sive antea coluerant, et diversae regiones servabant adhuc nomina antiquorum incolarum.

Quamvis autem divisio Daciae in *Ripensem*, *Mediterraneam* et *Alpe-  
stem* in nullis antiquis occurrat documentis, tamen quia incauti res deinde historice veras his superstruxerunt fictionibus, videndum est, quomodo earum auctores haec applicuerint nomina, ut ipsorum intelligamus scripta.

Qui ergo nomen Daciae *Ripensis*, Daciae Traiani attribuerunt, illi nisi hanc provinciam, quae ad dextram Danubii ripam jacebat, transtulerunt ad sinistram; huic parallele superposuerunt *Mediterraneam* semet ab occidente orientem versus extendentem; huic deinde posteriori superaddiderunt, simili modo parallele, *Alpestem* borealem eius complectentem tractum. Ita *Petrus Ranzanus* Epitome Rerum Hungaricarum, Indice II. Et hi sunt primi ignorantiae historicae fundatores et novorum errorum introductores. — Tardiores plerumque ex Dacia centrali orti, quibus, non tantum septemtriones versus, alpes erant, sed multo maiores orientem et meridiem versus, Daciam *Alpestem* universali ab ipsis conficto nomine *Transalpinam* esse voluerunt, itaque eam, quae reipsa ad Danubii jacebat ripam, hoc nomine insigniverunt; sed quid nunc cum *Ripensi* faciendum? nam *Mediterraneam* pro se retinuerunt. Applicuerunt ergo hanc Parthisso fluvio, per totam scilicet oram occidentalem extensam. Et inde enata est celebris illa praeteriti et nostri aevi nomenclatura tres Dacias optime explicans. Hoc ad intelligendos et refellendos recentiores, nugarum perniciosarum magistros, sufficiat.

Pariter hic notare volumus diversa nomina, quibus medio et recentiori aevo, (ast non antiquo), Daciae Traiani provinciae insignitae fuerunt, ut varios intelligere possimus auctores, et ut ab omni ulteriori dispensemur explicatione. En illa:

*Dacia centralis*: Intramontana, *Μεσοδακία*, *Μεσοδανία*, *Μεσοβλαχία*, *Οροδακία*, *Οροδανία*, *Οροβλαχία*, *Αργοδοβελλον*, Erdeuillum, Ardelium, Erdelium, Ultrasilvana, Transsilvana, Septemcastrensis, Heptapolitana.

*Dacia orientalis*: Ultramontana, *Μαυροδακία*, *Μαυροδανία*, *Μαυροβλαχία*, Morodavia, Mundavia, Moldavia, Valachia maior, Tyriana, quod

Tyrae fluvio adiaceat, Kara-Wlak et Bogdania turcice; divisa per Pyretan fluvium in *Bassadaviam* sive *Bassarabiam* et *Moldaviam propriam*.

*Dacia australis*: Inframontana, *Αργοδοκία*, *Αργοδοκία*, *Αργοβλαχία*, Valachia propria, Valachia minor, Istriana, quod Istro fluvio adiaceat, Ak-Wlak turcice; divisa per Alutam fluvium in *Janianam* et *Argisianam*.

*Dacia occidentalis*: Citramontana, *Ωχροδοκία*, *Ωχροδοκία*, *Ωχροβλαχία*, *Ούγγροβλαχία*, Pannodacia, Trans-Tibiscana Hungaris, partem Hungariae Regni efficiens; divisa per Marisium fluvium in *Temisianam* et *Chrysonianam*.

*Dacia borealis*: Supramontana, *Χλωροδοκία*, *Χλωροδοκία*, *Χλωροβλαχία*; divisa per Carpatos montes in citiorem *Marmorosam*, et ulteriorem *Arborosam*, *Ploniniam*, *Buccovinam*; cuius pars citerior tamen communiter Daciae vel occidentali vel centrali adnumerata fuit, ulterior vero orientali, usque ad finem praeteriti saeculi, quo ab eadem avulsa et Sarmatiae adiuncta est.

Ast notari meretur haec nomina variare apud varios scriptores. Poloni communiter Daciam orientalem appellant *Valachiam maiorem* et australem *minorem*, Hungari contrarie, orientalem dicunt *minorem* et australem *maorem*, prout videtur apud Petancium. Ast cum nulla est confundenda *Μεγαλοβλαχία* scriptorum Byzantinorum, quae est in Thessalia, nec *Valachia minor* in Sclavonia sita, quae adhuc retinet nomen antiquorum incolarum, licet linguam perdidit. Pariter variant etiam turcica nomina *Kara-Iflak* et *Ak-Iflak*. Secundum plerosque scriptores orientalis dicitur *Kara* (nigra) et australis *Ak* (alba), Princeps autem Cantemirus contrarium asserit, illam *Ak-Wlak* et hanc *Kara-Wlak* nuncupans. Praeter haec neque *Blanche-Blaquie* Ville-Hardouini, quae in Macedonia et Thessalia quaerenda est, cum homonyme vocata turcice *Ak-Iflak* vel graece *Αργοβλαχία*, nec Morolokia Dalmatiae cum *Μαυροβλαχία* vel *Kara-Iflak* Daciae confundenda est.

## 2.

Nunc redeamus iterum ad historiam.

Romani in antiqua Traiani Dacia suis familiis, possessionibus et natali solo, quod jam ipsorum erat patria, alligati, fatalibus his temporibus, quibus Romae quoque haud securior erat vita, quam in ultimis terrae finibus, inter quosvis ignotos barbaros, jugum Gothorum, quibus per viginti ferme annorum commercium adsueti erant, ferre maluerunt, quam omnia haec certa relinquere bona, et in nova ipsis peregrina transire loca, incerta quaerentes. Quapropter numerosissimae et potentissimae familiae, nequam Aureliani militaria in Moesiam secutae sunt praesidia, cum parioris fortunae fratribus, qui nihil hinc illuc perdebant migrantes. Ast nec Gothorum adeo durum fuit jugum, nam hi ut barbari ex bello vicantes,

se in possessione provinciae videntes, incolas pacificos non modo non turbant, sed etiam contra omnes alios defenderunt incursores, et ut terras tranquille colerent, unde ipsi quoque victum pro spoliis aliunde armis acquisitis haberent, animarunt \*).

Caeterum Dacia post quinquaginta sex annos iterum erepta est barbaris per Constantinum Magnum et imperio adjuncta Romano, pristinoque flori reddita, retentaque est usque ad invasionem Hunnorum circa annum 376, quo ab his immanissimis cunctae Europae terrorem incutentibus barbaris occupata est. Ast antiqui Romani incolae nec ab his feris hominibus permoveri poterunt, ut natale relinquerent solum, prout testatur historicus Thurotius \*\*).

Imperante Justiniano I Dacia, vel tota vel saltem australis simul cum Temisiana, tertio occupatur a Romanis, retineturque usque ad finem saeculi sexti, quo partim ab Avaribus, partim a Bulgaris, aliisque barbaris pro tempore occupata iterumque evacuata est.

Durantibus his temporibus populus suos diversis in locis eligebat Praetores, qui tandem remotis turbis semet in Duces elevarunt, variosque status fundarunt. Obscura haec tempora nomina quidem illorum occultant; communis est tamen opinio, quae haud omni caret argumento, plures eorum, vel ut alii censent, omnes, eodem compellatos fuisse nomine; nam tardius etiam, aut continuo eodem, aut saepissime reperimus, etsi, antequam ad gubernaculum accessissent, aliter vocati fuerint, idem post hinc usurpasse videmus. Ferunt itaque Duces Daciae orientalis, inde a temporibus Gothorum nomen gessisse *Joviani*, aut *Diodori*, quod idem significat graeco idiomate, et quod deinde a vicinis Sclavicis nationibus in suum translatum sermonem *Bogdanus* sonat, unde regionem illam hodie quoque Turci *Bogdaniam* vocant; Daciae vero australis Duces dictos fuisse *Hilarios*, vulgari

\*) The old country of that name (Dacia) detained, however, a considerable number of its inhabitants, who dreaded exile more, than a Gothic master. These degenerate Romans continued to serve the empire, whose allegiance they had renounced, by introducing among their conquerors the first notions of agriculture, the useful arts, and the conveniences of civilized life. An intercourse of commerce and language, was gradually established between the opposite banks of the Danube; and after Dacia became an independent state, it often proved the firmest barrier of the empire against the invasions of the savages of the North. A sense of interest attached these more settled barbarians to the alliance of Rome, and a permanent interest very frequently ripens into sincere and useful friendship. *Gibbon, The History of the decline and fall of the Roman Empire. Volume the first, Chap. XI.*

\*\*) Thurotius, *Chronica Hungarorum Parte I. Cap. 17.*

autem nomine *Bucenlos*, unde etiam eorum Metropolis *Bucculesci*, id est, *Hilariopolis* appellata est; quod nomen simili modo Selavi in suum vertebant idioma, expresseruntque *Radum*. Eadem censent ratione centralis Daciae Duces communi nomine appellatos fuisse *Julios* vel *Gellios*, quod consonat cum nomine ultimi in pugna cum Hungaris occisi, — qui circa finem saeculi noni, ex orientalibus eiusdem Daciae oris, a Patzinatis \*) cum Romanis sociatis \*\*) pulsus, Alpes traiecerunt, commissoque cum *Gellio* proelio, post cruentos conflictus, hunc tandem interfecerunt, et cum Romanis mortem sui Domini videntibus, foedus juramento iniverunt \*\*\*); — tum

\*) *Constantinus Porphyrogenitus, De Administratione Imperii, Parte II. Cap. 38.*

\*\*) Propter hanc Romanorum cum Patzinatis societatem, solent saepissime apud Byzantinos scriptores, illi horum insigniri nomine, quod egregie probavit *Lucius* in *Historia Regni Dalmatiae, Lib. VI. Cap. 5*; deinde *D'Anville, Memoire sur les peuples qui habitent aujourd'hui la Dace de Trajan. Memoires de l'Academie des Inscriptions Tom. XXX.*

\*\*\*) (Tuhutum pater Horca) vir astutus, dum coepisset audire ab incolis bonitatem terrae ultra silvanae, ubi Gelou quidam Blacus dominium tenebat, coepit ad hoc anhelare, quod si posse esset per gratiam Ducis Arpad domini sui, terram ultra silvanam sibi et suis posteris acquireret, quod et sic factum fuit postea — Tuhutum egressus est ultra silvas versus orientem, contra Gelou Ducem Blacorum. Gelou vero Dux ultra silvanus, audiens adventum eius congregavit exercitum suum, et coepit velocissimo cursu equitare obviam, ut eum per portas Mezesinas prohiberet, sed Tuhutum uno die silvam pertransiens, ad fluvium Almas pervenit, tunc uterque exercitus ad invicem pervenerunt medio fluvio interjacente. Dux vero Gelou volebat, quod ibi eos prohiberet cum sagitariis suis. — Mane autem facto Tuhutum ante auroram divisit exercitum suum in duas partes, et partem alteram misit parum superius, ut transito fluvio, militibus Gelou nescientibus, pugnam ingrederentur, quod sic factum est. Et quia levem habuerunt transitum, utraque acies pariter ad pugnandum pervenerunt, et pugnatum est inter eos acriter, sed victi sunt milites Ducis Gelou, et ex eis nulli interfecti, plures vero capti. Cum Gelou Dux eorum hoc vidisset, tunc pro defensione vitae cum paucis fugam cepit. Qui cum fugeret properans ad castrum suum, juxta fluvium Zomus positum, milites Tuhutum audaci cursu persequentes Ducem Gelou juxta fluvium Copus interfecerunt, Tunc habitatores terrae videntes mortem Domini sui, sua propria voluntate dexteram dantes, Dominum sibi elegerunt Tuhutum, patrem Horca, et in loco illo, qui dicitur *Esculeu* fidem cum juramento firmarunt, et a die illo locus ille nuncupatus est *Esculeu*, eo quod ibi juraverunt. Tuhutum vero a die illo terram illam obtinuit pacifice et feliciter, sed posteritas eius usque ad tempora Sancti Stephani obtinuit. *Anonymi Belae Regis Notarii Historia Hungarica Cap. 24, 26 et 27.*



eum ipso Metropolis nomine *Alba Julia*, et simul cum nomine deinceps continuato ex Hungaris sibi electorum Ducum, qui plures successive *Julii*, Hungarice *Gyula*, dicti sunt. Aliorum quoque huius temporis Romanorum in occidentali Dacia Ducum historia mentionem facit, et in specie *Claudii* sive *Gladii*, qui ea dominabatur in regione, quae a meridie Danubio, ab occidente Parthisso, a septemtrionibus Marisio, ab oriente centralis Daciae alpibus cingitur, et hodie *Despotatus Temisianus* sive *Banatus Temesiensis* nominatur. Strenuus hic Dux post multas et cruentas cum Hungaris pugnas, suum amplius retinere posse regnum desperans, *missis Legatis (ad Hungaros) pacem ab eis petere coepit, et castrum sua sponte cum diversis donis condonavit.* (Verba sunt Notarii). Hungari *filiis incolarum in obsides positus* pacem fecerunt, et Gladii progeniei, ipsis deditum, reliquerunt regnum, ex qua progenie *Optum* descendebat, longo post tempore a *Sunad* interfectus \*). Meminit eadem historia Ducis quoque *Marii* sive *Marioti*,\*\*) qui ditionem supra Marisium, inter hunc fluvium a meridie, Parthissum ab occidente, et Samisium a septemtrionibus tenebat, continua inde a priscorum tempore Romanorum successione, cuius proavum eiusdem nominis Attila occiderat \*\*\*) .Hic transactione cum Arpado facta, et filia sua, quam unicam habebat, Zoltae Arpadi filio in matrimonium data, *sine filio mortuus, regnum suum totaliter Zoltae genero dimisit in pace.* (Verba Notarii.) Memoriae quoque traditus est alius Ducatus ab Hungaris pariter dependens ultra Samisium fluvium jacens, in septemtrionali scilicet Dacia, ditione nostris temporibus *Marmorosa* dicta, unde Dacia orientalis saepius a barbaris vastata, novis iterum incolis frequentata est \*\*\*\*); quapropter Hungari ad illam quoque *Suzeranitatis* suae jus extendere et armis confirmare conati sunt.

His de veteris Traiani Daciae incolis, post occupatam a barbaris provinciam, notatis, transeamus in novam Aureliani Daciam. Neque haec, funestis illis temporibus, minus a barbaris infestata fuit, licet strenui Imperatores eam omnibus defenderint viribus, hacque ratione completam prohibuerint occupationem, donec saeculo septimo Bulgari imperante Constantino Pogonato Danubium transiverint, omnemque illum terrae tractum usque ad Haemum montem et ulterius per Thraciam et Macedoniam occupaverint, Romanosque novam Aureliani Daciam incolentes sibi adsciverint.

---

\*) Tragicus huius egregii viri finis invenitur ample descriptus in *Actis Sancti Gerhardi Episcopi Chanadiensis.*

\*\*) *Morout* et *Menomorout* scribi Notarius male interpretatus nomen *Minor-Marius.*

\*\*\*) Idem *Anonymus Belae Regis Notarius, Capite 11 et 12.*

\*\*\*\*) *Thurotius in sua Chronica, Parte III. Cap. 49.*

Hoc tempore proprium Romanum imperium in oriente quoque exspiravit, (supermanente eiusdem umbra usque ad decimum quintum saeculum.) Nam post invasionem Bulgarorum, mortemque Constantini, quo adhuc vivente lingua Romana, saltem militaris, in Aureliani Dacia vulgaris erat, (aulica enim inde a temporibus Marci Aurelii graeca erat, quae deinde a Diocletiano formaliter introducta, et tardius sub Juliano una cum graeca Philosophia pro sola Imperatore digna agnita est, latineque loqui jurisconsulti tantum permisi sunt, qui Flavio Justiniano codicem compilare iubente animati, Romanum restituere una cum lingua imperium, satis quidem, sed frustra conati sunt, omnia enim pessum ibant, praesertim cum Phocas tyrannidem nactus fuisset,) in provinciis ad imperium pertinentibus penitus extincta est.

Romani nunc cum Bulgaris juncti, propriam constituerunt rempublicam Byzantino imperio maxime inimicam, suosque concives sensim eo adduxerunt, ut Christiana amplecterentur sacra, quod anno Aerae vulgaris octingentesimo sexagesimo quinto factum est. Quae conversio causa fuit celebris illius scissionis inter Ecclesiam occidentalem, id est, Romanam, et orientalem, id est, Byzantinam; quum Romani, qui in sacris, licet non in politicis, a Byzantinis dependebant, post conversionem suorum concivium jugum Graecorum penitus excutere volentes, Romanae, id est, suae, et non Graecae subesse Ecclesiae maluerint, Graeci autem eos a proposito abducere conantes, quaecumque maligna potuit producere imaginatio de Ecclesia finxerint Romana, itaque odium excitantes infelicem causaverint illam separationem, quae quidem momento ipsis nihil profuit, et successu temporis vel plurimum nocuit, vel, ut verius loquamur, eos penitus exstinxit.

Bulgari hoc fidei vinculo Romanis adhuc strictius uniti, Reges quoque suos ex his eligere maluerunt, virtutem et prudentiam eorum conspicientes. Nominatus itaque est Rex *Simeon*, post huius decessum *Petrus*, quem secutus est *Samuel* \*), quo mortuo turbis in republica ferventibus regnum a *Basilio II Bulgaractono* dicto, occupata Metropoli Achride oppressum est, ineunte saeculo undecimo, et Romani sub Graecorum venerunt dominatum.

Quanta huius temporis etiam apud Byzantinos rerum historicarum fuerit ignorantia, inde vel maxime patet, quod cum hi, post eversum sta-

---

\*) Hoc probatur verbis Regis Joannitii, qui se Romanum proficens, jus in regnum se habere haereditarium affirmabat, utpote qui ab antiquis Regibus *Simeone*, *Petro* et *Samuele* descendebat, quos alioquin etiam Romanos fuisse oportuit. Vide eius ad Papam Innocentium III. epistolas inferius allegatas.

tum, in cognitionem venerint gentis, stupebant eam italice ferme loqui audientes, italicoque more vivere cernentes. Anna Comnena, mulier, quae secus multa scit, hac in re quodam gentis despectu suam conatur tegere inscitiam: „Alexius Caesari Nicephoro mandaverat, ut quam plurimos posset, conscriberet milites, non e veteranis, sed novos, et eatenus expertes belli, genera ipsa subtiliter explicans, ex quibus hos fieri delectus tironum mallet, nempe Bulgaros et pastoritiae duratos vitae laboribus, agrestes juvenes, incertis sedibus vagos, quos communis dialectus *Blachos* vocare consuevit“ \*). — Hic Romani prima vice hoc nomine appellantur apud scriptores Byzantinos. — Cinnamus bellum ab Emanuele Imperatore cum Hungaris gestum referens ait: „At Imperator ex eis non modice indignatus, ipse iterum in Hungariam movere instituit: atque ut Romanae fortitudinis hostibus daret argumentum id potissimum commiscitur. Alexium quidem, cui desponderat filiam, cum multis copiis, quibus Alexius Protostrator praefuerat, versus Istrum misit, quo Hungaris fucum faceret, quasi ex consuetis rursus locis in eos impetum esset facturus. Leonem autem Batatzem nomine, aliunde cum exercitu perinde magno, maxime vero *Blachorum* ingenti multitudine, qui Italarum coloni quondam fuisse perhibentur, ex locis Ponto Euxino vicinis irruptionem in Hungariam facere jubet, qua ex parte nemo adhuc a primis saeculis eos invaserat. Alexius itaque et alius Romanorum exercitus cum ad Istrum pervenissent, metum Hungaris facere, quasi continuo inde traiecturi, Batatzes autem ab iis, quae diximus, locis, irrumpens, omnia depopulatus, obvia quaeque prosternit, hominum ingentem caedem edit, nec pauciores captivos ducit, ad haec pecorum equorumque, et aliorum inde animalium greges agens ad Imperatorem revertitur“ \*\*).

\*) Ἐφθασε γὰρ διὰ γραμμάτων δηλώσας συλλέξασθαι ὅσους ἂν δυνηθείη, οὐκ ἀπὸ τῶν ἤδη ἐσρατευμένων, ἀλλὰ κατὰ μέρος νεολέκτους καταλέγων ὅσοι τε ἐκ Βουλγάρων, καὶ ὅσοι τὸν νομάδα βίον εἶλοντο, Βλάχους τούτους ἢ κοινῇ καλεῖν οἶδε δεάλεκτος. *Anna Comnena, Alexiados Libro VIII.*

\*\*) Βασιλεὺς δε ἐσφάδαξε μὲν διὰ ταῦτα, καὶ ἤθελεν αὐτὸς καὶ πάλιν ἐπὶ Οὐννικῆς ἵναί. Ἐπίδειξεν δὲ μᾶλλον τοῦ Ρωμαίων ἰσχνὸς ποιεῖσθαι θέλων αὐτοῖς, τοιαῦτα δὲ τίνα ἐνενοέει. Ἀλέξιος μὲν, ᾧ τὴν θυγατέρα ἠγγία, στρατώμασιν ἅμα πολλοῖς, ὧν Ἀλέξιος ἤρχεν, ὃς Πρωτοστράτωρ ἐτύχχανεν ὧν, ἐπὶ τὸν Ἴστρον ἔπεμπεν, ἐμποιήσοντα δόκησιν Οὐννοῖς, ὡς ἐκ τῶν συνήθων καὶ πάλιν αὐτοῖς ἐπιτεθήσεται χωρίων. Λέοντα δὲ τίνα, Βατάτζην ἐπιλήσιν, ἐτέρωθεν στρατεύμα ἐπαγόμενον ἄλλο τε σνχνόν, καὶ δὴ καὶ Βλάχων πολλὴν ὄμιλον, οἳ τῶν ἐξ Ἰταλίας ἀποικοὶ πάλαι εἶναι λέγονται, ἐκ τῶν πρὸς τῷ Εὐξείνῳ καλουμένῳ πόντῳ χωρίων ἐμβάλειν ἐκέλευεν εἰς τὴν Οὐννικὴν, ὅθεν οὐδεὶς οὐδέποτε τοῦ

Nicetas autem de Isaacio Angelo scribens *Mysos* eos appellat, a provinciae nomine: „Haemi montis accolae sibi et Romano (Byzantino) imperio infestissimos reddidit, qui olim *Mysi*, nunc *Blachi* nominantur“<sup>\*)</sup>.—Laonicus Chalcocondylas, unus maxime doctorum Byzantinorum, adhuc clarius suam testatur ignorantiam: „*Dacorum* sive *Blachorum* lingua similis et Italarum linguae, adeo tamen corrupta et differens, ut difficulter Itali queant intelligere, quae istorum verbis proferuntur. Unde autem lingua moribusque Romanis usi in istam regionem accesserint, ibique sedes fixerint, a nullo mortalium accepi, nec aliquem audivi, qui ista liquido commemoraret; dicuntur tamen homines undique confluentes in istam regionem penetrasse, — Nihil differunt ab Italis caetera etiam victus ratione, armorumque et suppellectilium apparatu; quamvis ea gens in duos distincta sit principatus, Bogdaniam videlicet et Regionem Istrianam: haud tamen aequo jure inter se vivunt“. — Et inferius relata Peloponesi et Bœotiae occupatione, subiicit: „Pindum montem *Blachi* incolunt, quibus eadem cum Dacis est lingua, nec quidquam a Dacis, qui Istrum accolunt differre cognoscuntur“<sup>\*\*</sup>).

πάντος αἰῶνος ἐπέδραμε τούτοις. Ἀλέξιος μένου'ν καὶ τὸ ἄλλο Ρωμαίων ζῴντα ἐπὶ τὸν Ἰστρον γιγονότες, θεός ὑπέτεινον Οὐννοίς, ὡς ἐκείθεν αὐτίκα παραιωσόμενοι. ὁ Βατάτζης δὲ ὄθεν εἰρηται προβαλὼν, ἔκειρε τε ἀφειδῶς πάντα, καὶ ξυνεπάτει τὰ παρατίπτοντα. Ἀνθρώπων τε οὖν πολὺν εἰργαστο φόνον, καὶ ἀνδραποδιισμόν οὐκ ἐλάττω πεποίητο. πρὸς δὲ καὶ ζῴων ἀγέλας, ἵππων τε καὶ ἄλλων παντοδαπῶν ἐκείθεν ἐλάσας, ἐπὶ Βασιλέα ἤλθεν. Joannes Cinnamus, *Historiarum Libro II. Capite 3.*

\*) Ἐαντῷ δὲ μάλις καὶ Ρωμαίοις ἐκπολεμώσας τοὺς κατὰ τὸν Ἀξιμον τὸ ὄρος βαρβάρους, οἱ Μυσοὶ πρότερον ὀνομάζοντο, νυνὶ δὲ Βλαχοὶ κεκλησικονταί. Nicetas Choniates, *De Imperio Isaacii Libro II.*

\*\*) Δάκες (ἢ Βλάχοι) δὲ χρῶνται φωνῇ παραπλησίᾳ τῇ Ἰταλῶν, διεφθαρμένη δὲ ἐς τοσοῦτον, καὶ διενεγκούσῃ, ὡς τε χαλεπῶς ἐπαίειν τοὺς Ἰταλοὺς, ὅτι οὖν ὅτι μὴ τὰς λέξεις διασημειουμένων ἐπιγινώσκειν, ὅτι ἂν λέγοιτο. ὄθεν μὲν οὖν τῇ αὐτῇ φωνῇ διαχρώμενοι ἦθ' ἔσει Ρωμαίων, ἐπὶ ταύτην ἀφίκοντο χώραν, καὶ αὐτοῦ τῆδε ἦκησαν, οὔτε ἄλλου ἀνήκουα περὶ τούτου διασημαίνοντος σάφως ὅτι οὖν, οὔτε αὐτὸς ἔχω συμβαλέσθαι, ὡς αὐτοῦ ταύτη ἦλθ' ἰσθη. λέγεται μὲν πολλαχῇ ἐλθόν τὸ γένος τοῦτο ἐνοικῆσαι αὐτοῦ.— Συμφέρεται δὲ Ἰταλοῖς, τάτε ἄλλα, καὶ τῇ ἐς διαίταν καταστάσει, καὶ ὅπλοις τοῖς αὐτοῖς, καὶ σκευῇ ἔτε καὶ νῦν τῇ αὐτῇ Ρωμαίων διαχρώμενοι, ἐς δύο μὲν τοὶ διηρημένον ἀρχάς, ἐς τε τὴν Βογδανίαν, καὶ αὐτὴν παρ' Ἰστρον χώραν, οὐ πάντα εὐνομεῖται.—καὶ τὸ τε Πίνδον ὄρος Βλάχοι δ' ἐνοικοῦσι, αὐτοὶ τῶν Λακῶν ὁμολῶνται, τοῖς παρὰ τὸν Ἰστρον Δαξίν ὁμοίοντο. Laonicus Chalcocondylas, *Historiarum Libro II et IV.*

Melioribus cognitionibus de statu et origine Romanorum imbutos reperimus doctos Italiae viros. Innocentius III scribit ad Joannitium Imperatorem Romanorum Dacianorum (in epistolis, quas inferius adferemus,) his verbis: „Expedi enim tibi tam ad temporalem gloriam, quam ad salutem aeternam, ut sicut genere, sic sis etiam imitatione Romanus, et ut populus terrae tuae, qui de sanguine Romanorum se asserit descendisse, Ecclesiae Romanae instituta sequatur, ut etiam in cultu divino mores videantur patrios redolere“. — Aeneas Sylvius in Historia de Europa describit Romanos ex omnibus provinciis, quas incolunt: „Transilvaniam incolunt Valachi, qui genus Italicum sunt, quemadmodum paulo post referemus. — Valachia perquam lata regio est, a Transilvanis incipiens usque ad Euxinum protensa pelagus, plana ferme tota, et aquarum indigua; cuius meridiem Ister fluvius excipit, septemtrionem Roxani occupant, quos nostra aetas Ruthenos appellat, et versus fluvium Thiram nomades Scytharum genus, quos Tartaros hodie vicitamus. Hanc terram incoluerunt quondam Getae, qui Darium Hisdaspis filium turpi fuga repulerunt, et Lysimachum Regem vivum in potestate pertraxerunt, et Thraciam pluribus cladibus affecerunt. Postremo Romanis armis subacti ac deleti sunt. Et colonia Romanorum, quae duces coerceret eo deducta, Duce quodam Flacco, a quo *Flaccia* nuncupata. Exin longo temporis tractu, corrupto, ut fit, vocabulo, pro *Flaciis* Valachi appellati; sermo adhuc genti Romanus est, quamvis magna ex parte mutatus, et homini Italico vix intelligibilis. — Valachi et insulas Istri accolunt, inter quas Peuceen apud veteres fama notatam, et in Thracia quoque sedes habent. — Valachi gens olim Romana, cum magnis copiis a Graecis accersiti, Andrianopolim duxere“\*). — Bonfinius melius adhuc nos novit: „Traianus, qui de Dacis et Seythis triumphavit ac victo Rege Decebalo Daciam in provinciam redegit, multas in eam colonias deduxit. — Quamquam variae barbarorum eruptiones Daciam populi Romani provinciam, et Getarum regionem una cum Pannoniis inundasset, colonias tamen, legionesque Romanas, quae recenter excreverant, non potuisse interire. Inter barbaros obrutae, Romanam tandem linguam redolere videntur, et ne omnino eam deserant, ita reluctantur, ut non tantum pro vitae, quantum pro linguae incolumitate certasse videantur. Quis enim Sarmatarum inundationes et Gothorum, item Unnorum, Vandalorum et Gepidarum eruptiones, Germanorum excursus et Longobardorum si bene supputarit, non vehementer admiretur, servata adhuc inter Dacos et Getas Romanae linguae vestigia, quos nunc Valachos ab optima sagittandi disciplina dicimus. — E legionibus enim et coloniis a Traiano ac caeteris Romanorum Imperatoribus, in Daciam deductis, Valachi promanarunt; quos Pius a Flacco, pronunciatione germanica, *Vlachos* dici voluit: nos contra ἀπό τοῦ

\*) Aeneas Sylvius, *Historia de Europa. De Hungaria Cap. I, II, IV.*

βάλλειν καὶ τῆς ἀκίδος dictos esse censuimus, cum sagittandi arte praepolleant. Nonnulli Valachiae a Diocletiani filia (Valeria) nomen inditum censuere, quae illorum principi nupsisse fertur<sup>\*)</sup>. — Neque Imperator Ferdinandus suam cognitionem de origine et genere Romanorum silentio praeterire vult in Diplomate Nicolao Olaho Archiepiscopo Strigoniensi anno 1548 collato: „Hae vero sunt omnes propemodum landatissimarum gentium origines, inter quas Valachi gentiles tui, minime postremas habent, utpote quos ab ipsa rerum Domina urbe Roma oriundos constat: unde nunc quoque sua lingua *Romani* vocantur; tua ista gens fortitudine praepollens fuit, multorum praestantissimorum Ducum genitrix, inter quos Ioannes Hunyades inelyti Mathiae Regis pater, et illius aetati proximi maiores tui, potissimum enituisse feruntur<sup>\*\*)</sup>“.

Minus instructi his de rebus videntur scriptores Poloni, ast tamen sinceri, prout tardius videbimus in tractatu de Principatibus. Apud Hungaros vero desideratur etiam sinceritas, qui etiam nomen nationis plerumquae occultare conantur, et ubi proferre coguntur, summa cum acerbitate faciunt, nunquam omissis invectivis. Excipi tamen merentur duo, Isthuanus scilicet et Benkö. Prior scribit libro XIII: „Duae Valachias, quae hoc tempore Moldaviae et Transalpiniae nomine censentur, simul cum Transylvania, veteres uno Daciae nomine appellabant; fuisseque in eam Romanorum colonias deductas, praeter innumera antiquitatis monumenta saxis et marmoribus incisa et adhuc extantia, illud etiam argumento et testimonio est, quod incolae Romana lingua, quamquam corrupta, utuntur, quae Hispanicae et Gallicae atque etiam Italicae adeo similis est, ut non magno labore ad mutuam sermonis commercium intelligi queat. Moldavia mari nigro, ut nunc vacant, seu Ponto Polemoniaco, propinquior, Transalpina Danubio contermina est, quo etiam a Bulgaria separatur. — Transylvaniae urbes a Saxonibus incoluntur, veteremque Germanorum linguam retinent. — Caeteras partes Valachi et Siculi inhabitant, illi Romana, Hungarica hi utentes lingua<sup>\*\*\*)</sup>. — Benkö in sua Transsylvania ait: „Integer de moribus, consuetudinibus et ritibus Valachorum liber adornandus esset, quo eorum Romanitas doceretur. Martinus Opitius a Principe Gabriele Bethlen, e Silesia ad docendas bonas litteras Anno 1621 Albam Juliam vocatus, Poeta insignis, in sua Zlatna, sive Itinerario transilvanico, vel e choreis Valachicis *Chora* nuncupatis, sanguinem eorumdem Romanum sequentibus versibus monstravit:

\*) Ant. Bonfinius *Rerum Hungaricarum Decade II. Libro 4.*

\*\*) Ferdinandus I. in Diplomate Archiepiscopo Strigoniensi Nicolao Olaho, 23 Novembris 1548, collato.

\*\*\*) N. Isthuanus Pannonius, *Historia Regni Hungariae, Libro XII.*



Es hat das wueste Volck gantz Asien bezwungen,  
 Die Grichen, Thracier und Mysios verdrungen,  
 Auch euer Dacien, der Roemer bestes Land,  
 Von langen Jahren her, verheert und ausgebrand.  
 Mehr, hat nicht Attila mit seiner Scythen Haufen,  
 Und dann die Wenden, anch euch feindlich angelaufen.  
 Doch eure Sprache bleibt noch hier auf diesen Tag,  
 Darob sich dann ein Mensch gar billig wundern mag;  
 Italien hat selbst nicht gantz von seinen Alten,  
 Ingleichen Spanien und Gallia behalten;  
 Wie etwan diss nun kan den Roemern aehnlich seyn,  
 So nahe sind verwandt Walachis und Latein.  
 Es steckt manch edles Blut in kleinen Bauren-Huetten,  
 Das noch den alten Brauch und Art der alten Sitten  
 Nicht gaentzlich abgelegt. Wie dann ihr Tantz bezeigt,  
 In dem so wunderbar gebueckt wird und geneigt,  
 Gesprungen in die Hoeh, auf Art der Capreolen,  
 Die meine Teutshen sonst aus Franckreich muessen holen.  
 Bald wird ein Kreiss gemacht, bald wiederum zertrannt,  
 Bald gehn die Menschen recht, bald auf der lincken Hand;  
 Die Menschen, die noch jetzt fast Roemisch Muster tragen,  
 Zwar schlecht, doch witzig sind, viel denken, wenig sagen, etc.“

Quum in superius citatis nomen *Blaci*, *Blachi*, *Vlachi*, *Valachi*, quod Romanis dari solet ab externis, vidissemus, pauca hic de eo notare oportuum censuimus. Prouti ergo superius vidimus, Aeneas Sylvius derivat hoc nomen a Duce Romano *Flacco*, Bonfinius vero a graeco *βάλλω-αῖτις*; utrumque est merum figmentum omni fundamento carens. Nonnulli praetendunt cum Leunclavio hoc nomen datum esse a Germanis, qui nationes Celto-Romanas *Gallos* nuncupant, hincque effecisse *Guallos*, *Wallos*, *Wal-lones*, *Wallischos*, *Walachos*; et huius opinionis inter caeteros erat etiam celebris Voltaire. Alii vero autumant a Sclavis inditum esse, qui ita appellant et Romanos et Italos, ab eorum voce *Wlad*, Dominum significante, hincque effecisse *Wlados*, *Wlazos*, *Wlassos*, *Wlachos*, *Wlossos*, *Wlochos*, quod si verum est, confiteri debemus eisdem valde male recipratos esse, quippe qui *Sclavi* et *Servi* nominati sint a Romanis. — Poloni putant ab antiquis *Volsis* dictos fuisse *Vlossos*. Doctus Katancsieh dicit a voce *Latini* vel *Latii*, Sclavos formasse voces *Blaci* et *Vlaci*. — Sed, quod magis ex omnibus his notari meretur, est: 1) quod Germani et Sclavi eodem nomine appellent et Italos et Romanos, Russus Nestor plane etiam antiquos, et consequenter, cuiuscunque radicis sit nomen, nihil aliud significet quam Romanum, et 2) quod neque Itali neque Romani hoc nomen in

ipsorum lingua noscant, et admodum bene faciant, si in ore peregrinorum relinquant, quin proprio adoptent idiomate.

## 3.

Post hanc longam digressionem, quam nequaquam superfluum censemus, redeamus ad cursum historiae.

Saeculo duodecimo Aerae vulgaris Romani in nova Dacia Aureliani degentes jugum Graecorum post ducentos fere annos pertaesi, duobus praeceuntibus fratribus Petro et Axiano arma capessentes, excusserunt, adiunctisque sibi antiquis concivibus Bulgaris, proprium fundarunt imperium, vel potius antiquum restituerunt. Quo firmato securoque reddito Joannitius post fratrum mortem Imperator nominatus\*), ecclesiasticam quoque disciplinam restituere cupiens, ab Innocentio III Romano Pontifice Legatione honoratus, literas eidem scripsit Pontifici, regnumque suum Romanae, a qua ab illo tempore, quo in Byzantinorum venerat potestatem avulsum erat, vovit Ecclesiae, insigniaque regalia ab illo petiit, quae etiam obtinuit. Nonnullas harum curiosarum epistolarum hic attingendi haud inopportunum fore judicavimus locum, quum praeterea paucis admodum notae sint, et magnum historiae propagent lumen.

Scribit enim Stephanus Baluzius in Gestis Innocentii III Romani Pontificis: „Cum autem regnum Blacorum et Bulgarorum a longissimis retro temporibus se ab obedientia sedis apostolicae subtraxisset, Dominus Innocentius, tanquam bonus pastor, cupiens errabundas oves ad caulas redu-

---

\*) Maresealvus Godofredus Ville-Hardouin facit Joannitium Imperatoris Byzantini filium et rebellem contra suos parentes: „Après par li conseil des Grius et des François, issi l'Empereres Alexis à mult grant compaignie de Constantinople por l'Empire aquirer, et metre à sa volenté. Avec lui en alla grant partie des Barons, et l'autre remest por l'ost garder. — Et sachiez que en cèle ost ou l'Empereres alla, que tuit li Griu de l'une part et de l'autre des Braz vindrent à lui et à son comandement, et à sa volenté. Et li firent fealté et homage com à lor Seigneur, fors solement Johanis qui ére Roi de Blakie et de Bougrie. Et cil Johanis si éres uns Blaqui qui ére reveléz contre son pere et contre son oncle, et les avoit guerroiéz vingt anz; et avoit tant de la terre conquis sor als que Rois s'en ére fait riches. Et sachiez que de cèle partie del Braz Sain George devers occident, poi en falloit, que il ne l'en avoit tolu près de la moitié. Icil ne vint pas à sa volente, ne à sa merci. *Histoire de Geoffroi Ville-Hardouin* §. 105 et 106.

Quapropter doctissimus Du Fresne recte animadvertit: „Ville-Hardouin s'est mépris lorsqu'il dit, que Jean Roy de Bulgarie s'estoit revolté contre son père et contre son oncle, contre l'autorité des meilleurs Escrivains. „*Histoire de l'Empire de Constantinople sous les Empereurs François, Note 106.*



eere, direxit Dominicum Archipresbyterum Brundusinum, virum in Graeca et Latina lingua peritum, ad Joannitium Dominum Blacorum et Bulgarorum qui a Graecorum dominio se subduxerat; per quem tales ei litteras destinavit:

Respexit Deus humilitatem tuam et devotionem, quam erga Romanam Ecclesiam cognosceris hactenus habuisse, et inter tumultus bellicos et guerrearum discrimina non solum potenter defendit, sed et misericorditer et mirabiliter dilatavit. Nos autem audito quod de nobili urbis Romae prosapia progenitores tui originem traxerint, et tu ab eis et sanguinis generositatem contraxeris, et sinceræ devotionis effectum, quem ad sedem apostolicam geris quasi haereditario jure, jampridem te proposuimus et litteris et nuntiis visitare: sed variis Ecclesiae sollicitudinibus detenti, hactenus non potuimus nostrum propositum adimplere. Nunc vero inter alias sollicitudines nostras, hanc etiam assumendam duximus, imo consummandam potius jamdudum assumptam, ut per Legatos et litteras nostras te in laudabili foveamus proposito et devotione sedis apostolicae solidemus. Dilectum itaque filium nostrum Dominicum Archipresbyterum Graecorum de Brundisio ad te praesentialiter destinantes, monemus nobilitatem tuam et exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus ipsum humiliter et devote recipiens, honorifice et benigne pertractes, et per eum plenius tuam nobis devotionem exponas. Cum enim plene nobis per ipsum de sinceritate tui propositi ac devotionis affectu constiterit, ad te proposuimus maiores nuntios, vel Legatos potius destinare, qui tam te, quam tuos in apostolicae sedis devotione confirmet, et de benevolentia nostra efficiant certiores.

Joannitius autem nuntios et litteras Domini Papae devote recipiens, rescripsit hoc modo:

Venerabili et sanctissimo patri summo Pontifici, ego Calojohannes Imperator Blacorum et Bulgarorum gaudium et salutem mando tibi. Notum facimus sanctitati vestrae, quod nos recepimus vestras sacrosanctas litteras, quas nobis portavit religiosus Archipresbyter Brundusinus, et nos reputavimus eas caras super omne aurum et quemlibet lapidem pretiosum. Unde multas egimus gratias omnipotenti Deo, quia visitavit nos servos suos indignos secundum suam inaestimabilem bonitatem, et respexit humilitatem nostram, et reduxit nos in memoriam sanguinis et patriae nostrae, a qua descendimus. Et nunc sancte pater, tanquam bonus pastor, et caput omnium fidelium Christianorum, filios sanctae catholicae et apostolicae sedis congregare volens in unum, requisistis nos remotos secundum corpus. Et quamvis fratres mei bonae memoriae, jamdudum voluerint mittere sanctitati vestrae, non tamen ad vos pervenire, propter multos nostros contrarios, potuerunt. Et nos similiter probantes semel, secundo et tertio ad

vos dirigere, deducere non potuimus quod optavimus in effectum. Et nunc videntes quod sanctitas vestra dignata est mittere imperio nostro, tanquam proprii et dilectissimi filii, sicut amantissimo patri, mittimus misericordiae vestrae religiosum electum Brandizuberensem fidelem nostrum Presbyterum Blasium una cum fideli nuntio vestro Archipresbytero Brun-  
 dusino, referentes vobis ex parte nostra gratiarum actiones et amicitiam et servitium, sicut patri spirituali et summo Pontifici. Sanctissime pater, significastis nobis per sacras litteras vestras, quod nos significaremus vobis, quid ab Ecclesia Romana petamus. Hoc autem petit imperium nostrum ab apostolica sede, ut nos simus in Ecclesia Romana sicut matris filialitate firmati. Imprimis petimus ab Ecclesia Romana matre nostra coronam et honorem, tanquam dilectus filius, secundum quod Imperatores nostri veteres habuerunt. Unus fuit Petrus, alius Samuel, et alii, qui eos in imperio praecesserunt, sicut in libris nostris invenimus esse scriptum. Nunc autem, si placitum est auctoritati vestrae nobis istud implere, quicquid imperio nostro duxeritis adjungendum ad honorem Dei et Ecclesiae Romanae complebitur. Nec miremini quod nuntius vester citius non redit, quia nos suspicati fuimus aliquid contra eum, quia multi venerunt in imperium nostrum nos decipere cogitantes, sed nos ab omnibus bene novimus praecavere; sed nos pro eo testimonium recepimus Praetextati, et ei acquie-  
 vimus. Verum si placet vobis, sanctissime pater, mittite nobis magnos nuntios, de quibus nobis per litteras nuntiastis, et istum destinate cum eis; et tunc certificabimur de prima missione pariter et secunda. Det vobis Dominus multos annos.

Receptis his litteris Dominus Papa transmisit ad eos Joannem Capella-  
 num suum cum apostolicis scriptis habentibus hunc tenorem:

Calojohanni Domino Blacorum et Bulgarorum apostolica sedes . . . etc. Hoc igitur attendentes jam pridem nobilitatem tuam per nuntium et litte-  
 ras nostras duximus visitandam, ut intellecto devotionis affectu quem ha-  
 bes ad Romanam Ecclesiam matrem tuam, majores ad te nuntios postmo-  
 dum mitteremus, qui tam te, qui ex nobili Romanorum prosapia diceris  
 descendisse, quam degentem sub te populum verbo pascerent et exemplo,  
 et de benevolentia et gratia sedis apostolicae redderent certiolem. (Repetit  
 tenorem epistolae Joannitii.) Petisti vero humiliter, ut coronam tibi Eccle-  
 sia Romana concederet, sicut illustris memoriae Petro, Samueli et aliis  
 progenitoribus tuis, in libris tuis legitur concessisse. Nos igitur ut super  
 hoc majorem certitudinem haberemus, regesta nostra perlegi fecimus dili-  
 genter; ex quibus evidenter apparet, quod in terra tibi subjecta, multi  
 Reges fuerant coronati. Praeterea continebatur in eis, quod tempore bo-  
 nae memoriae Nicolai Papae praedecessoris nostri Rex Bulgarorum, ad

eius consulta saepissime respondebat, cum toto regno sibi commisso ad praedicationem eius fuerat baptizatus, et Rex ipse ab eo Archiepiscopum postulaverat. Legatus quoque Michaëlis Regis Bulgarici cum donis regalibus Adriano Papae praedecessori nostro regias litteras praesentarat et postularat ab eo, ut aliquem ex Cardinalibus in Archiepiscopum eligendum dirigeret, quem post approbationem eorum ad sedem apostolicam remeantem ipse postmodum consecraret. Cumque idem Adrianus illuc cum duobus Episcopis quemdam Subdiaconum direxisset, Bulgari corrupti donis Graecorum et promissionibus circumventi, Romanis ejectis, Graecos Praesbyteros receperunt. Licet igitur tantae memoria levitatis nos usque adeo induxerit ad cautelam, ut nullum ex fratribus nostris, Cardinalibus scilicet, ad tuam praesentiam mitteremus, nihilominus tamen dilectum filium Johannem Capellanum et familiarem nostrum, apostolicae sedis Legatum, virum providum et discretum, quem nos et fratres nostri suae probitatis et religionis obtentu inter caeteros Capellanos nostros specialis in Domino dilectionis brachijs amplexamur, ad te duximus destinandum; cui etiam commisimus vices nostras, ut in tota terra tua quoad spiritualia corrigat, quae corrigenda cognoverit, et statuatur, quae secundum Deum fuerint statuenda. Per ipsum quoque Archiepiscopo terrae tuae palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, juxta formam, quam sub bulla nostra dirigimus, conferendum. Eidem quoque Legato nostro dedimus in mandatis, ut si qui forsitan in terra tua promovendi ad ordines fuerint, vel in Episcopos consecrandi, per vicinos catholicos duntaxat Episcopos et ordinandos ordinet, et consecret consecrandos. Mandamus quoque ipsi, ut de corona progenitoribus tuis ab Ecclesia Romana collata tam per libros veteres, quam per alia documenta inquirat diligentius veritatem, et de omnibus tecum tractet, quae fuerint pertractanda; ut cum per ipsum et nuntios tuos de omnibus redditu fuerimus certiores, consultius et maturius, prouti fuerit procedendum, procedamus. Monemus igitur nobilitatem tuam et exhortamur in Domino, quatenus Legatum ipsum sicut personam nostram benigne suscipias, et honorifice studeas pertractare, salubria monita et statuta ipsius et tu ipse recipiens et ab universa Blacorum et Bulgarorum gente recipi faciens et servari. Expedi enim tibi tam ad temporalem gloriam, quam ad salutem aeternam, ut sicut genere, sic sis etiam imitatione Romanus, et populus terrae tuae, qui de sanguine Romanorum se asserit descendisse, Ecclesiae Romanae instituta sequatur, ut etiam in cultu divino mores videantur patrios redolere.

Ille vero profectus palleum, mitram et anulum praefato Archiepiscopo assignavit, recepto ab eo juramento fidelitatis et obedientiae summo Pontifici et Ecclesiae Romanae in perpetuum exhibendae. Cumque a praefato Joannitio sive Calojohanne Domino Blacorum et Bulgarorum fuisset honorifice ac devote susceptus, de ipsius consilio et assensu duos alios Metro-

politanos in illo regno constituit, videlicet Beesbulnensem et Postolavensem, quos praefato Zagorensi tanquam Primati subiecit; et apud Trinovium nobiliorem, ipsius provinciae civitatem constituit Primatiam. His igitur bene gestis Joannitius se ac regnum suum imperio Ecclesiae Romanae subiecit per paginam aurea bulla signatam, cuius tenor talis est:

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Cum placuit Domino nostro Jesu Christo me Dominum et Imperatorem totius Bulgariae et Blaciae facere, inquisivi antiquorum scripturas et libros, et beatae memoriae Imperatorum nostrorum praedecessorum leges, unde ipsi sumpserunt regnum Bulgarorum et firmamentum imperiale, coronam super caput eorum et patriarchalem benedictionem: et diligenter perscrutantes, in eorum invenimus scripturis, quod beatae memoriae illi Imperatores Bulgarorum et Blacorum *Simeon*, *Petrus* et *Samuel*, et nostri praedecessores coronam imperii eorum et patriarchalem benedictionem acceperunt a sanctissima Dei Romana Ecclesia, et ab apostolica sede, principe Apostolorum Petro. Sed imperium meum voluit benedictionem et imperiale firmamentum coronae capitis imperii sui suscipere et patriarchalem benedictionem ab Ecclesia Romana, ab apostolicae sedis principe Apostolorum Petro, et a sanctissimo patre nostro universali Papa tertio Innocentio; et a quocunque patriarchalis benedictio et mandatum in civitate imperii mei Trinovi data et concessa fuit a Domino Papa faciendi et consecrandi Archiepiscopos, Metropolitanas et Episcopos, et reliquas ecclesiasticas obsequutiones sacramentales, concedit imperium meum, ut plenissimam in omni tenimento et imperii mei pertinentiis ipsi habeant potestatem. Ecce enim omnes totius imperii mei et tenimenti, et Patriarcha meus metropolitanus, Episcopi et Archiepiscopi et cuncti Sacerdotes Romanae subsint Ecclesiae, et teneant legem, et consuetudinem et observationem, quas tenuerunt beatae memoriae Imperatores totius Bulgariae, prisci illi nostri praedecessores, et nos eodem modo vestigia eorum imitantes. Subsignat autem imperium meum ad securitatem Chrysobolum suum, quod nunquam ab Ecclesia Romana, et ab apostolica sede, principe Apostolorum Petro, ipsum videlicet imperium meum descendet, neque alii imperii mei Principes disgregabuntur, sed ut vocatus dilectus filius sacrosanctae et apostolicae Romanae sedis, principis Apostolorum Petri ero. Et deinceps quascunque terras Christianorum seu paganorum meum acquisiverit imperium, sub potestate et mandato eiusdem sacrosanctae Romanae Ecclesiae et apostolicae sedis erunt. Et ut praesens Chrysobolum imperii mei ratum et firmum habeatur, dedi imperium meum in manibus reverendissimi viri Johannis sacrosanctae Romanae sedis Legati et Domini Papae Capellani, in quo et nostrum pium et a Deo promotum signavit imperium anno sexmillesimo septingentesimo duodecimo, indictione septima.

Misit praeterea Blasium Brandizuberensem Episcopum cum praefato

Johanne Capellano, per quem et quaedam donaria in signum devotionis Domino Papae transmisit.

Cum autem Episcopus, et Capellanus praedicti ad sedem apostolicam pervenissent, Dominus Papa eos benigne suscepit, et super petitionibus saepefati Jannitii per eundem Episcopum praesentatis habito diligenti tractatu, constituit eum Regem Blacorum et Bulgarorum, mittens ad eum Leonem tituli sanctae Crucis Praesbyterum Cardinalem apostolicae sedis Legatum, et per ipsum sceptrum regni ac regium diadema, ut eundem vice summi Pontificis ungeret et coronaret in Regem, transmissa apostolica privilegio cuius tenor talis est:

Calojohanni illustri Bulgarorum et Blacorum Regi, eiusque posteris etiam in regno quam in devotione sedis apostolicae successuris in perpetuum, Rex Regum et Dominus Dominantium Jesus Christus Sacerdos... (Sequitur formula generalis a Romanis Pontificibus in coronatione Regum observata). Cum ex praecepto Domini oves eius pascere teneamur populis Bulgarorum et Blacorum, qui multo jam tempore ab uberibus matris suae alienati fuerunt, in spiritualibus et temporalibus paterna sollicitudine providere volentes, eius auctoritate confisi, per quem Samuel David in regem inunxit, Regem te statuimus super eos, et per dilectum filium Leonem tituli sanctae Crucis Presbyterum Cardinalem apostolicae sedis Legatum virum providum et honestum, nobis inter caeteros fratres nostros acceptum, sceptrum regni et regium tibi mittimus diadema, eius quasi nostris tibi manibus imponendum, recipiendo a te juratoriam cautionem, quod nobis et successoribus nostris et Ecclesiae Romanae devotus et obediens permanebis, et cunctas terras et gentes tuo subjectas imperio in obedientia et devotione sedis apostolicae conservabis. Ad petitionem insuper venerabilis fratris nostri Blasii Brandizuberensis Episcopi, quem ad sedem apostolicam destinasti, publicam in regno tuo cudendi monetam tuo caractere insignitam, liberam tibi concedimus facultatem. Venerabili etiam fratri nostro Archiepiscopo Trinovitano in terris, in quibus imperas universis privilegium concedimus primatiae qui et successores ipsius tuos in posterum successores simili ab eis juramento recepto apostolicae sedis auctoritate coronent, et in terra tua primatus obtineant dignitatem, eique Metropolitanis tam in Bulgaria quam Blaciae provinciis constituti sebjaceant, et juxta formam canonicam reverentiam Primati debitam exhibeant et honorem... Datum Anagninae per manum Johannis sanctae Romanae Ecclesiae Subdiaconi et Notarii, sexto Kalendas Martii, indictione septima, incarnationis dominicae anno MCCIII. Pontificatus vero Domini Innocentii Papae tertii anno septimo.

Floruit hoc novum Romanorum regnum, ab anno 1186, quo per fratres Petrum et Axianum restauratum fuit, sub optimis et valentissimis Regibus ex Axianidarum familia ortis, usque ad annum 1235, quo a Tartaris invasoribus turbatum, non tamen excisum est, ingruentibus autem saeculo

decimo quarto Turcis, circa eiusdem finem, a Bajazete Sultano subjugatum et anno 1392 deletum est.

## 4.

Turci occupatis provinciis addextram Danubii sitis, ultra amnem progressi florentissimos infestarunt Daciae Traiani status, egregiis tum a Principibus gubernatos et fortissimis populis frequentatos, quorum insignem virtutem vicini Poloni sat admirari non poterant. „Hi eorum lingua *Romani*, (ait Orichovius,) a Romanis, nostra *Walachi* ab Italis appellantur; *Wlosy* enim Polonis, idem est, quod *Itali* Latinis, quorum regio Moldavia, quasi *maior Dacia*, vulgo nominatur. Hi natura, moribus ac lingua non multum a cultura Italiae absunt, suntque homines feri, magnaque virtutis; neque alia gens est, quae pro gloria belli et fortitudine, angustiores fines cum habeat, plures ex propinquitate hostes sustineat, quibus continenter aut bellum infert, aut illatum defendit. Habet ab ortu Mœsiam, ab occasu Russiam, a meride Transilvaniam, a septentrione Scythiam (Tatariam ultra Tyram fluvium). Tantaem autem sunt virtutis, ut cum omnibus his gentibus, quorum fines attingunt, eodem tempore saepe proelio contenderint, victoresque fuerint. Nam Stephanus, qui patrum nostrorum memoria, principatum in Dacia obtinuerat, una propemodum aestate et Bajazetem Turcam, et Mathiam Ungarum, et Joannem Albertum Polonum, bello magno devicerat, magnamque calamitatem victis intulerat.“\*)—Huius excellentissimi Principis illustra describens gesta celeberrimus coaevus Historicus Dlugosius prae admiratione in furorem raptus exclamat: „O virum admirabilem! heroicis Ducibus, quos tantopere admiramus, nihilo inferiorem, qui sub nostra aetate tam magnificam victoriam inter Principes mundi primus ex Turco retulit. Meo iudicio dignissimus, cui totius mundi principatus et imperium, et praecipue munus Imperatoris et Ducis contra Turcum communi Christianorum consilio, consensu et decreto, aliis Regibus et Principibus catholicis in desidiam et voluptates aut in bella civilia revolutis, committeretur.“\*\*)—Petancius vero Daciam australem describens ait: „Haec est provincia *Dacia* dicta apud veteres, Romanorum colonia, unde eius Aborigines hac etiam nostra tempestate passim latino utuntur colloquio.— Ex his locis declinando viam ad traiectum Bidini et Nicopolis dirigentem, ad laevam offert se Vassilum castrum, medium ferme consistens inter Valachiam maiorem et minorem, quae et Moldavia dicitur, ubi saepe cum Turcis certatum est. Dracula enim cum paucis, sed delectis militibus, Mahumetem Turcorum Imperatorem positum jam maiori Valachia et ad minorem occupandam maturantem, hic ad secundam vigiliam noctis

\*) Stanislaus Orichovius, *Annales Regni Poloniae. Annali V.*

\*\*) Dlugos, *Historia Regni Poloniae, Lib. XIII.*

aggressus, conversum ad Danubium, cum magna suorum caede et ignominia regredi coëgit. Hic denique Stephanus Moldaviae Princeps Soleimanum Bassam et Ducem Romaniae sic prostravit, ut ex XXX Turcorum millibus, pauci admodum, qui forte velocioribus equis insiderant, evaserint.“ \*) Valentissimum hunc Imperatorem, Draconem dico, australis Daciae Principem, Bonfinius summo cum enthusiasmo nominat. „Dracula (ait) Valachiae, quam Montanam dicimus, Princeps, vir non parva justitia et aequitate pollens et fortissimus in quoquo bello Imperator semper habitus: quippe qui modicis copiis, magnitudine animi et sapientia, nec non excellenti suorum militum virtute, Turcarum bellum vix Christianis omnibus tolerabile, praeter omnium opinionem, sine ullis externae gentis auxiliis, diu toleravit, tantamque assiduo bello provinciarum jacturam fecit, ut vix superessent, qui agros colerent.“ \*\*) — Non obstantibus tantis Principum et populi virtutibus, Turci multitudine praevalentes, grave suum tandem circa initium saeculi decimi sexti his, melioris fortunae dignis, imposuerunt provinciarum jugum.

Nec felicior fuit sors Romanorum in provinciis ad Hungariae regnum pertinentibus, licet ingentem in suo compatriota *Joanne Corvino Hunniade*, totius regni *Gubernatore* et centralis Daciae *Praefecto*, non solum suae, verum totius orbis Christiani libertatis, habuerint defensorem; de quo Hungarus *Thurotius*: „Erat tunc in regno miles magnanimus, nobili ac claro Transalpinae gentis de gremio natus, *Johannes de Hunyad*, homo bellicosus, et ad flectendum arma, dirigendasque res bellicas natus; et sicut piscibus aqua, cervisque umbrosas lustrare silvas, sic illi, armorum bellique expeditio, vita erat. Hunc hominem, ut dici praesumitur, futura regni pro tutela, rebus per ipsum gestis testantibus, fata ab alto elegerant, peregrinisque de partibus, regni Hungariae deduxerant intra oras. Fertur enim, quod Rex *Sigismundus*, virtutis nomine genitoris militis huius pulsatus, illum partibus de Transalpinis, suum traduxisset in dominium, suique regni incolam illum effecisset; et nihilominus digna perpetuaque eundem munitionis *Hunyad* possessione, ubi nunc castrum nobile, adspectuque delectabile erectum est, dotasset. Praefatus igitur *Johannes de Hunyad* semper sui superioris lateri adhaerendo, cum jam de virtute in virtutem crevisset, a minoribus regni officialibus, quorum usque ad tunc fretus fuisset honore, successivo incremento in tantum claruisset, quod ad *Wayvodatum* partium Regni *Transsilvanarum*, suum extulisset titulum—.“ \*\*\*) — Sed quantopere ca-

---

\*) *Felix Petancius*, Dissertatio de Itineribus aggrediendi Turcam ad *Vladistau* Hungariae et Bohemiae Regem.

\*\*) *Bonfinius*, *Rerum Hungaricarum Decade III. Libr. 6.* Item *Callimachus*, *De rebus Vladislai Lib. 3.*

\*\*\*) *Thurotz*, *Chronica Hungarorum, Parte VI, Cap. 30.*

vet astutus malae fidei Thurotius ne tanti viri nationalem prodat originem verbis! Turpis historici character! Non ita Pius II, qui continuat: „Hic Joannes natione Valachus fuit haud altis natalibus ortus, sed ingenio dextero et animo sublimi et virtutis amator, multa cum Turcis secunda proelia fecit, et hostium spoliis hungarica templa ditavit, primusque omnium apud Hungaros Turcarum acies et frangi et vinci posse monstravit. — Joannes Hunniades, cuius nomen caeteros (viros Hungaros in re militari claros) obnubilat, non tam Hungaris, quam Valachis, e quibus natus erat, gloriam auxit.“\*) — Doctus Bonfinius adhuc amplius prosequitur hunc virum extraordinarium: „Hic enim Valacho patre, matre vero Graeca natus, industria et virtute supra omnium opinionem suum genus illustravit; parentibus nequaquam obscuris editum tradidere. Pater namque inter Valachos, qui Getarum Dacorumque loca nunc incolunt, et e Romanis superfuisse colonis, veluti linguae similitudo testatur, sane creduntur, plurimum apud eam gentem potuisse dicitur. Quippe qui non consilio solum ac longa rerum experientia, sed opibus et fortunis, multum sibi auctoritatis comparaverat, assiduo bello exertitatus non plus divitiarum, quam nominis e militaribus studiis ipse contraxerat. In Corvino vico natus, in Corvinam Romanorum familiam genus retulit, Mater vero e Graecis edita, e veteri et imperatorio sanguine promanasse credita est. Nonnulli in Theodosii huic genus referre audent. Servivit a principio cum duodecim equis Demetrio Episcopo Zagrabiensi, et in Italia duos annos sub Duce Philippo Mediolanensi prima stipendia meruit: nam Sigismundum in Italiam secutus remansit. Sigismundum enim affirmant fama paterni nominis excitatum, Joannem adhuc ephebum ex Transalpinis oris in Transsylvaniam transtulisse, Hunniadicis praediis, quae in extrema Transsylvaniae ora, quae ad Valachiam attinet, sita sunt ob rem bene gestam donasse. Prima hunc stipendia sub Hungaro Halae Praefecto, fecisse memorant. Nosque a Divo Mathia nonnunquam audivimus: cum Praefecti cuiusdam filium in conspectum admitteret, quod de patre conversus ad alios ingenue fatebatur: Hic est, inquit, illius Optimatis gnatus, sub quo pater meus primum meruit, vocemque centurionis expavit, mox propria virtute, fortunaeque dexteritate fretus, munia quaeque militiae honorificentissime gessit, ex bono tyrone miles fortissimus, ex milite Imperator optimus emersit. — Per singulos ordines miro laudis gloriaeque successu jam eVectus, provincias cum imperio sortiri coepit, cum praestantissima Ghereberum domo affirmatam inivit. Hinc Elisabetham, quae Ladislaum Mathiamque genuit, uxorem duxit. Vir fuit, in quo magnam Corvinorum virtutem, item magnanimitatem, sapientiam, fortitudinemque Romanam recognoscere licebat. Adspectu perliberali fuit ac venerando, militari robore indomitus, cuius mite praestansque in-

\*) Aeneas Sylvius, *Historia de Europa. De Hungaria Capite I et II.*





genium, nihil praeter Romanac dignitates imaginem referebat. Oculorum ac oris venustate praepolluit. Mores omni ex parte nobilissimi, ab omni- que barbara feritate redempti. Religionis ac justitiae, item liberalitatis et beneficentiae studiosissimus fuit. Neque deerat amor honestatis et amici- tiae cultus, ad obligandos militum animos, et promerendam caeterorum gratiam usque adeo promptus, ut aequae ab omnibus amaretur. Comitatus, beneficentia, dissimulationeque callida, sic inimicitias et odia declinavit, ut his officiorum artibus ad eius dignitatis altitudinem sibi viam comparavit, quam ne sperare quidem licuisset. Acer et excelsus viro fuit animus, con- silium prudens callidumque, cui mos erat nil inconsulte, nil intempestive agere. Nil spes eius appetere videbatur, quod arte consilioque assequi non auderet. Variante tamen in bello fortuna usus, ne obnoxiam hanc sibi semper habuisse videretur: in agro Hunniadico, quem a Sigismundo quondam dono acceperat, in edito monte castellum erexit, quod placida circum flumina lambunt: item arte ac natura usque adeo munitum, ut nullum hostium impetum reformidet. Joannes igitur Corvinus, post cae- tera, quae summa cum laude munera gesserat, Transsylvaniam provinciam cum imperio, ob rem optime gestam impetravit: atque hinc facile ad ma- xima quaeque subinde evectus est. Quare *Vaivoda* (ut aiunt) cognomina- tus, multum posthac auctoritatis ac potentiae sibi vendicavit.“\*)— Illustria cuius facta universo mundo nota sunt, cuius obitum universus luxit: „Ingenti (ait Ranzanus) ob tanti viri obitum dolore atque moestitia affecti sunt, non solum universi Hungariae totius populi; sed omnes quo- que orbis Christiani nationes. Luxit eum Nicolaus V. Pontifex Maximus, omnisque Romana Curia, quae tam fortem, tamque fortunatum ac pium Christianae Religionis defensorem amisit. Pontificis jussu Cardinalium se- natus, ei magnifice persolvit inferias. Ei solemnitati ipse interfui.“\*\*) „Ipse etiam Caesar Mahumetes (subiicit Thurotius), quamvis per eundem Do- minum Comitem prope suam ante mortem, de sub castro Nandoralbensi praedicto fugatus sit: cum tamen per Georgium Rasciae Despotam, eidem Caesari pro consolatione, mors ipsius Domini nuntiata est; Caesarem eun- dem defixo capite, longam per horam subticuisse, seque, quamvis ei ini- micus esset, sublationem eiusdem condolere; et saeculorum ab initio, ho- minem sub principe nunquam talem fuisse, ad nuntium dixisse perhi- betur.“\*\*\*)

Nec patre inferior fuit gloriosissimus filius Mathias Corvinus ad Hunga- riae solium evectus, de quo pariter doctus Bonfinius: „Mathiae Regi

\*) *Antonius Bonfinius, Rerum Hungaricarum Decade III. Lib. 4.*

\*\*) *Petrus Ranzanus, Epitome Rerum Hungaricarum, Indice 27.*

\*\*\*) *Thurotz, Chronica Hungarorum, Parte IV. Cap. 56.*

quemadmodum supra dictum est, Joannes Corvinus pater fuit, Budi Valachi filius, in paterno pago natus, quem nostra quoque tempestate Corvinum dicunt, imperante Sigismundo, a quo virtus eius et animi magnitudo primum coepit intelligi: mater vero Elisabetha Silagia, virago semper habita. Is veluti saepius a parentibus acceperat, cum adolevisset, se Romana gente natum, affirmabat: referebat genus in Corvinos, qui inter priscae Romanorum familias numerantur. Generoso sanguine succensus et Transsylvaniae finitimus in provinciam venit, a principio in Chyacorum familiaritatem se insinuavit: adaucto mox animo ingressus Hungariam Francisco Chanadino servire coepit, cui usque adeo charus fuit, ut pro filio haberetur. Sub hoc fausta tyrocinii auspicia sortitus est: cliens deinde Demetrii Zagrabiensis Episcopi factus, cum ignavi experti ocii foret, et Sigismundum Imperatorem, quem in Italiam profecturum audiverat, continuo secutus est, ut Romanos progenitores ac rerum Dominos inviseret. (Narrat breviter eius militaria servitia, ut superius, deinde delineat genealogiam familiae Romanae Corvinae, et enumerat omnes Consules et viros celebres ex hac familia, usque ad tempus Domitiani, Traiani et Antoninorum, sub quibus Corvini in re militari excelluerunt, ostendit quomodo haec familia in Daciam nostram transivit, nomen et linguam suam conservavit, deinde continuat:) Hinc igitur per tot deinde tempora sanguis Corvinae sane delituit. Nec id quidem sine magno Divum numine factum est, ut veluti Corviniis auspiciis per tot annos populus Romanus a barbaris, ita nunc nōdem Ducibus Christiana respublica, provincias has a profana servitute liberaret. In hoc itaque vico Joannes Mathiae pater natus est, cuius virtus ac gloria quanta fuerit, ex his, quae supra diximus, facile intelligi potest. Mathias eius filius in Transsylvania ad Colosuarum natus, et ad tyrocinii usque tempus etiam maturi educatus est. — Haec fortasse remotius, quam res ipsa postulare videbatur, repetiis existimamur, scriptoris ambitum plerique damnabunt: verum ne abs re quidem fecimus, quando Mathias antiqui sui generis haud inscius, nil molestius ferre videbatur, quam siquis ex invidis obscuritatem sibi generis obiecisset: aut barbara nobilitate tumens, citra propriae virtutis merita se praefere studeret. Non ignorabat adversarios ignobilitatem sui generis improbase: vulgo quoque dicere Valacham ipsum gente oriundum. Nonnullos hybridam appellasse, quem dissimilis linguae parentes ediderint. Id imprimis citerioris Hungariae Proceres dicere, Valachum Regulum non esse ferendum. Fridericum quoque Imperatorem iniquissime pati, opulentissimum usque adeo regnum, ab adulescente et peregrino pene Rege possideri, et ne coronam redderet ab infestis nonnullis Optimatibus quotidie admoneri. Quin etiam Alemanni suapte natura Hungaris infensi, ne Corvino sanguine Mathias ac pater, quem admodum gentilia Corvi insignia testabantur, natus esse videretur, auctore

Ciliae olim Comite fabulam haudquaquam insulsam commentati sunt. — (Narrat et refutat insulsam fabulam, Joannem Corvinum Sigismundi ex Valacha puella nothum facientem, quam tamen optime Pray refellit. \*) Deinde subiungit:) „Haec hactenus de Mathiae origine dicta sint. Nunc regno potitus adolescens, a principio quae bella gesserit, cum nunquam ocii compos fuerit, in proximum librum transferamus.“ \*\*) Nos vero ad universalem provocamus historiam, quae digna de tanto loquatur viro; nam nobis desunt verba, quibus excellentissimum Imperatorem, fortissimum Militem, sapientissimum Virum, gloriosissimum Regem, sat digne laudare possemus. Maximus fuit, quem Hungaria inter Reges numeravit, et proh dolor! ultimus. Nam post eius decessum, qui secuti sunt duo, vix umbram sustinere potuerunt regiae dignitatis. Turci vero jam audaciores effecti, copiose undique ingruentes, tandem deplorandae pugnae apud Mohacs 1526. successu, totum Hungariae occuparunt regnum, quorum Patronatui Joannes Zapolya, pro obtinendo Hungariae Regis titulo sponte semet sebiecit, eorumque auxilio centralem, occidentalem et borealem in unam congregavit Daciam, regni axiometate decoratam, quam etiam usque ad obitum 1540 retinuit, suoque post mortem filio Joanni II adhuc infanti sub Turcorum tutelam posito reliquit, quem in provincia dominantes pariter Regem declararunt, quo tamen reliquos suos Vassalos huic succedentes amplius decorare titulo abstinuerunt.

Gementem nunc ex omni parte sub Turcorum tyrannide Daciam *Michaël Valens* australis eiusdem Provinciae Princeps, ingentis animi vir, circa finem infelicis saeculi decimiti sexti, liberare conatus est, qui felici cum successu contra barbaros pugnans, eo pervenerat, ut ab eis tam suam patriam Principatumque, quam Moldaviam et Transsilvaniam purgaret, et propter tam fortiter gesta summis imperii titulis a Rudolpho II Imperatore ornaretur, ast aemulorum odio pressus, vir qui solus tunc aptus erat ad salvandam a barbarorum jugo Europam, inter tumultus bellicos exstinctus est.

---

\*) Bonfinius loco citato et Timon in purpura Pann. f. 11, scribunt, Hunniadem apud Demetrium Zagrabiensem Episcopum in epheborum numero fuisse: tenuit autem Demetrius Cathedram Zagrabiensem ab anno 1375, ad annum 79, ut Reverendis. et Cl. Kerczelich in hist. Zagrab. pag. 135, ex instrumentis rite confecit. Itaque Hunniades intra annos 1375 et 79, ut minimum dicam, fuerit annorum 12. proinde natus anno Christi 1368. aut paulum post. Constat autem ex Choninico Barthosii apud Cl. Gelasium Dobner auctoris supparis, Sigismundum eodem anno natum esse: igitur Hunniades aut aequalis Sigismundo fuit, aut tribus quatuorve annis minor. *Georg. Pray, Annales Regum Hung. Parte III. Lib. 3.*

\*\*) *Ant. Bonfinius, Rerum Hungaricarum, Decade III. Lib. 9.*

Durum hae ratione jugum tam universa Dacia, quam vicina Pannonia, omnibus fractae viribus, ferre jussae sunt, gemueruntque sub eo, usque ad Divi Leopoldi Magni tempora, quibus tandem post innumera funesta fata, partes ad Hungariae olim regnum pertinentes a barbaris purgatae, sub Augustorum venerunt sceptrum, saepe quidem postea, usque ad gloriosum immortalis memoriae Josephi II. Imperatoris regimen, per eosdem turbatae, ast nunc strenui Augusti labore et divini Numinis favore, non tantum penitus ab externis tutae redditae hostibus, verum etiam ab internis barbara consuetudine barbari aevi sancitis omnem humanitatem tollentibus omnemque culturam impediens oppressionibus liberatae, humanaeque jura restituta, cultura introducta et ad altum promotam gradum. Transalpinæ vero provinciae usque ad nostram sub eodem de die in diem gravi jugo genere coactae fuerunt aetatem, et vix tandem elapso decennio, non tam excutere quam allevare, arbitrariam sufferentes tyrannidem, valuerunt; Transdanubianæ autem nostris adhuc eodem premuntur diebus, licet dominatores non tam humanitate adacti, quam debilitate coacti, pristinam deposuerint feritatem, et haud pauca laudabilia instituta, commune humani generis jus respicientia, universalemque libertatem protegentia, introducere coeperint, quae certum secum ferunt indicium, tempora omnis barbariei jam in perpetuum praeterlapsa esse, et deniceps nisi virtutum et scientiarum studio vitam fore consecrandam.

---

Phases, quas percurrit lingua Romana in Daciae provinciis inde a primis aerae vulgaris saeculis usque ad finem decimi quinti.

### I.

Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra; panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos a malo.

### II.

Patre nostru, qui esci in celi, sanctifice se nome teu; advenia regnu teu; fia voluntate tea, assico in celu et in terra; pane nostra quotidiana da nobe

adie; et remitte nobe debite nostre, assico et noi remittimu a debitori nostri; et nu ne induce in tentatione; vero ne libera de malu.

## III.

Patre elle nostru, qui esci in celori, sanctifice se nome elle teu; venia regnu ellu teu; fia voluntate ella tea, quomu in celu et in terra; pane ella nostra quotidiana da nobe estadi; et ni remitte debitorie elle nostre, quomu et noi remittimu debitori elloru nostri; et nu ne ducere in tentatione; vero ne libera de ellu reu.

## IV.

Parente'le nostru, quale esci in celori, sanctesca-se nome'le teu; venia imperiu'lu teu; fia volia'la tea, quomu in celu et pre pauimentu; pane'la nostra ella de tote die'le da-ni estadi; et ni liberta nobe debitorie'le nostre, quomu et noi libertamu debitori'loru nostri; et nu ne ducere in tentatione; qui ne scapa de ellu reu.

## V.

Tata'lu nostru, quale esci in celori, sanctesca-se nome'le teu; venia imperatia'la tea; fia volia'la tea, prequomu e in celu et pre pauimentu; pane'la nostra quella de tote dille'le da-ni nobe estadi; et ni liberta nobe peccate'le nostre, prequomu et noi libertamu peccatosi'loru nostri; et nu ne ducere in tentatione; qui ne mantuesce de quellu reu.



Prostant Hilariopoli et Hierasi in omnibus biblio-  
poliis:

TENTAMEN CRITICUM in linguam Romanicam aucto-  
re A. T. Lauriano, 9 Zwanz.

MAGAZINU ISTORICU pentru Dacia supu Redact.  
lui A. T. Laurianu et N. Balcescu, Tomu I. 7 Zwanz.  
Tomu II. 6 Zwanz.

MANUAL DE FILOSOFIE, lucratu dupo programma  
Universitătii din Paris 1840. 3 Zwanz.